

Q.K.387,20.

(X1883912)



Q. B. D. V.  
DISSERTATIO ANTI-BARONIANA,  
NUM

37

ALEXANDER III. FRIDERICUM  
BARBAROSSAM CALCA-  
VERIT PEDIBUS?

CONSENSU INCLUTÆ FACULTATIS PHILOSO-  
PHICÆ LIPSIENSIS ACADEMIÆ  
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANN-DANIELIS ARTOPOEI,  
Trarbaco-Mosellani,

RESPONDENTE


JOHANNE FRIESEN/MÜHLAVIA-MISN.

PUBLICE PROPONENDA

d. XVI. August. A.O.R. cIc Ioc LXXIII.

LIPSIAE,

LITERIS JOHANN-ERICI HAHNI.



SERENISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI,  
**DOMINI CHRISTIANI,**  
Comitis ad Rhenum Palatini, Ducis  
Bavariae, Comitis Veldentiae &  
Sponhemiae,  
DOMINI MEI CLEMENTISSIMI,  
in Sanctiore Consilio  
**AD SESSORIBUS EMINENTISSIMIS,**  
VIRIS  
Magnificentia, Nobilitate, & Prudentia  
Per-Illustribus,  
**D. JOHANNI REBHANIO,**  
J<sup>C</sup>to famigeratissimo, Comit. Palatino Cæsar. Facul-  
tatis Juridicæ Argentorati Professori Antecessori,  
Capituli Thomani Decano, undiqueque  
Gravissimo.  
**D. WOIFFANG RHEMEN,**  
Præfecto Supremo, Sponhemici & Hanoici Comi-  
tatum Consiliario intimo, Perstrenuo.  
**D. BERNHARDO GSELLEN,**  
Juris utriusq; Licentiato celeberrimo, Consiliario  
intimo, meritissimo, Spectatissimo.  
**PATRONIS SUIS OPTIMIS,**  
MAXIMIS,  
Dissertationem hanc Academicam  
dedicat  
Humilimus Cliens  
**M. JOHANN-DANIEL ARTOPOEUS,**  
PRÆSES.




# JESU FORTUNANTE!

## Præloquium.

Nter alias, qvæ Historicum commendant, virtutes, principem obtinet locum, qvando omni partium studio exutus, nudam, absqve speciosis verborum involucris, veritatem, & in eâ veri DEI gloriam, sestat. Ita enim & officio, & conscientiæ satisfacit. Officio, dum id, qvod probo convenit historico, præstat. Conscientiæ dum, eam non mendaciis, & sic notoriis peccatis onerat, sed veritatem sectando quietam reddit. Id qvod utinam & Cardinalis Cæs. Baronius in vastis XII. annalium tomis observâisset, ne innumeris in locis ejus fidem inviti desiderare cogeremur. Dolendum sanè, verba sunt πολυμαθεῖται Casauboni in epist. dedicat. exercit. virum sui seculi facile primarium, in opere tam nobili, communihodie multorum vitio, partium studio ita licenter indulsisse, ut, cuius πολυαναγνωσίας, πολυμάθειας, h.e. multam lectionem, multamq; eruditionem atq; industriam neq; mirari, neq; prædicare satis possumus, ejus fidem innumeris in locis vel inviti cogamur desiderare. Miræus quidem de script. secul. XVI. p.

180. eum verum historiæ patrem, & annalium Ecclesiasticorum consummatissimum conditorem contra Matth. Flacium & alios Magdeburgenses Satanicarum, ut ait, centuriarum (qvæ sunt mendaciorum 5 plausta) evulgatores, (qvos alibi impios Rapsodistas vocat) salutat. Ast dum Magdeburgensibus tribuis mendacia, Miræ, mendacium mendacio cumulas. Utinam non penitus interdum Baronium deseruisset veritas, qvippe qvi Ecclesiæ veteris faciem & πολιτείαν 10 describit talem, non qvalis reverà olim fuit, sed qvalem fuisse, vel certè qvalem hodiè esse Papistæ optant. Sic de eo doctissimus Cesaubonus in proleg. exercitat. lo- qvitur: Ita se gessit Baronius totis XII. suorum annali- um tomis, ut qvi dubitari nollet, præcipuum sibi sco- 15 pum fuisse Papalem monarchiam stabilire, amplifica- re, & ad cœlum usqve evehere. Ex infinitis unicum esto exemplum Friederici Barbarossæ conculatio à superbo Romanæ sedis Pontifice Alexandro III. facta. Hanc cum adversarii videant à nostratisbus sibi ad de- 20 monstrandam Apocalypticam meretricem, Anti- Christum Romanum, objici, ejus erubescentes, melius sibi consilere non nōrunt, qvām si eam mendacii & figmenti, de cuius tamen veritate ante Lutherum du- bitavit nullus, accusent. Qvapropter magnus ille hi- 25 storiæ Ecclesiasticæ conditor, (si Pontificiâ ejus lau- des eloqvar lingvâ) Baronius, ut eandem elevet, to- tus tom. XII. ann. 1177. defudat. Ejus argumenta bre- viissimis considerare fert animus. Qvod ut feliciter succedat, Juva JESU, Juva!

Ante-



Nteqvam autem Friederici Barbarossæ Historica conculationem pristinæ veritati *καθδύναμιν* narratio. restituamus, & à Baronii objectionibus vindicemus, brevis totius historiæ descriptio erit, præmittenda, ut, qvâ ratione ea conculatio ab Alexandro sit facta, pateat. Fuit verò Friedericus ille Barbarossa, Cunradi Regis optimi, belli pacisqve studio clariſſimi, Principum suffragio, successor, Friederici Sive viæ Ducis, Cunradi Imperatoris Fratris, Filius, Princeps fortunæ animiqve dotibus ornatissimus, in qvo nobilissimæ Teutonum familiæ conspirârunt, cum Pater esset è stirpe Gueiblingâ Henricorum Cæsarum, Mater de sangvine Guelforum Altorfensium. (a) Hostis optimi hujus Principis, qvamvis ſæpiſſimè latens, infenſiſſimus erat Alexander III. Pontifex. Odium exinde ſuum traxerat originem : Mortuo Hadriano IV. Pontifice summo, Cardinales de eligendo novo convenerant. Duo & vi-ginti Imperatori adverſi, Rolandum Senensem Cancellarium, vocatum creant Pontificem. Novem alii, qui à parte Cæſaris stabant, Octavianum, Cardinalem S. Clementis, suffragantibus præfecto urbis, Populoqve Romano (b). Hæ electiones cum viderentur maxima post se trahere diſſidia, utraqve pars convenit, neutrū ex electis constitui debere, donec discordia eſſet, ſopita. Rolandini verò, fide ſolutâ, Rolandi electionem promulgant, ipsumqve Alexandri III. nomine ſalutant. Victor, alter Papa intereà Romæ manet. Alexander ad Siciliæ Regem properat, à qvo 12. post electionem die Papa confirmatur. Seditio autem hæc, ne in pernitium Ecclesiæ Romanæ cedat, Friedericum Imperatorem Cremam eo tempore obſidentem per legatos Alexander rogat, ut eam autoritate Imperatoriâ tollat. Friedericus Imper. id ſine concilii autoritate fieri non posse, cernens, conuentus diem Papiæ nominat, ad qvem utrumqve citat

A 3

Papam.

(a) Vid. D. Cluver. epitom. historiar. p. m. 442. seqq. VVolfii lection. memorabilium & reconditarum tom. I. p. 298. seqq.

(b) Chronic. Carionis lib. IV. p. 470. Mutius lib. XVIII. german. chron. p. 150. lin. 33. Comment. Joh. Funcpii in Chronolog. lib. X. ann. 1160.

Papam. (c) Alexander hâc re cognitâ se contulit Anagniam. Friedericus indignatus, ipsum per legatos citat, qui contemtâ responsione: Pontificem Romanum à nemine debere judicari, auditâ, re infectâ discedunt (d). Octavianus Papiæ jussu Imperatoris ab omnibus Germaniæ Episcopis agnoscitur Papa (e). Alexander irâ ob hæc commotus Friedericum ac Victorem anathematis vinculo conjungit. Romam reversus, multos sibi inimicos reperiens, Tarracinam, ubi consenso navigio in Gallias contendit. Claromonti anathema vibrat in Imperatorem & anti-Papam (f). Imperator ad Francum mittit Legatos, petitque, ut conventu Didione indicto, ad componendas seditiones ipse eò suum Papam deducat, (Alexander enim à Philippo Galliarum Rege tum fovebatur,) se cum Victore illuc venturum esse. Fides datur. Friedericus præscripto appetit die. Venere itidem eò Henricus II. Angliæ & Wilhelmus Scotiæ, Reges. Verum Alexander comparet nullus, rationem prætendens, conventum non à se esse indictum. Imperator aliiqve Principes id ægrè ferentes, Victore ad Pontificiam sedem capessendam ire jusso, ad sua redière. Victor in itinere Luccam veniens naturæ debitum solvit. Papa eligitur Gvido Cremonensis Episcopus, dictus Paschalis III. Alexander in Galliis adhuc degens, per vicarium concedit Romanis, ut consules creent liberè, Alexandri modò sint studiosi. Rediens postmodum Romam, spreto Gvidone, benignè suscipitur. Alexandro fadente Urbes non ita pridem à Cæsare occupatae rebellionem parant. Imperator novo exercitu collecto rebelles obsidet. Minus feliciter res succedit. Deserit enim eum spreto consanguinitatis jure cum suo exercitu Henricus Leo Bavariæ & Saxonie Dux. Conspiracybus sic impar in cruentâ cæde eqvo suffosso, cadit. Milites Imperatorem occupuisse existimantes, se in fugam conjiciunt. Qvinto verò

post

(c) Radovic. l. 2. c. 55. 56. 58. qui & acta hujus concilii refert c. 67. vide eadem tom. VII. Concil. p. 637. Joh. Funcii Comment. l. c.

(d) Angelocrator. l. 8. Chronol. p. 456. b. Funcius l. c.

(e) Dodechin. append. ad Marian. Scot. ann. 1160. Conradus à Liechtenau Abbas Ursperg. in Chron. p. 222. Funcius loc. cit.

(f) Stella p. 176. Mutius l. c. p. 151. Funcius l. c.

post prælium die habitu & comitatu Imperatorio visus est Papiæ ingenti sanè suorum gaudio (g). In Germaniam postmodum reversus Henricum rebellem terris, frustrâ qvibusdam renitentibus Principibus, exuit. Ottoni de Wittelsphach Noricum, Bernhardo Anhaltino Saxoniæ Ducatum confert (h). Rebus sic 5 in Germaniâ compositis, Imperator magno exercitu Italiam rursus ingressus, nemine repugnante, Romam movet: Præmissis legatis à Populo Romano postulat, ut causâ utriusque Papæ auditâ, Ecclesiæ restitueretur concordia, decernereturq; se sedes Pontificia uni ex electis Pontificibus. Id, si facerent, promittit, 10 se pacem non solum concessurum esse, sed & omnia, qvæ jure debabantur, redditurum. Alexander videns Imperatorem hâc arte sui compotem fore, nocte aufugit Cajetam, inde Beneventum, postremò in coqvi sui habitu Venetias venit, ubi in monasterio delitescens, & post aliquot menses agnitus, habito Senatu, 15 jussu Ducis Sebastiani maximo honore exceptus, Pontificali pompa in templum D. Marci deducitur (i). Imperator id audiens, non parum succenset Venetis, qvòd communem suscepint hostem. Postulat sibi hominem pernitiosum restitui. Venetis id negantibus, Imperator Ottoneum filium cum armatâ classe ad re- 20 posendum Alexandrum mittit, prohibens illi, ne qvicqvam prius, qvàm ipse advenerit, tentet. Otto Princeps juvenis, fervens & gloriæ famæq; cupidus, cum Venetis congreditur, capit (k). Felicioris hoc fortunæ successu Alexander elatus, pacem cum Cæsare inire renuit, nisi ipse supplex Venetias venerit, 25 pacisq; conscriptas conditiones acceptet. Friedericus partim Φιλοσοργία filii capti, partim pacis cupiditate in Europâ restituendæ & Sultani Ægyptii successibus resistendi, adductus, statuto tempore se Venetias venturum esse promittit. Promissis ste-

tit.

(g) Mutius Chronic. German. lib. 18. p. 156. seq. n. 40. Chronic. Carionis lib. IV. p. 470. Comment. Joh. Funccii in Chronol. ann. 1176. lib. X.

(h) Joh. Funccius l. c. (i) Angelocr. p. 457. Naucler. generat. 39. p. 849. Mutius l. XVIII. Chron. Germ. p. 152. Funccius l.c.

(k) Naucler. p. 856. Mutius p. 157. Stella p. 173. Angelocrat. p. 457. Chron. Carion. lib. IV. p. 471. Funcc. l. c. Petrus Justinianus in historiis Venetis libr. II. p. 26.

tit. Veniens Venetias Papa ad templum Marci eum provocat, nec prius ab excommunicationis vinculo se eum soluturum dicit, donec illic comparuerit. Friedericus comparet. Papa adstante universo populo, papaliter ei mandat, ut humili prostratus, veniam supplex petat. Friedericus Princeps Germanus, minime suspicax, arbitrans Pontificem, qui exemplar omnis modestiae esse debet, nullam in se contumeliā vel crudelitate usurum, mandato obtemperat, seq; ad ejus pedes supplicem devolvit. Papa Imperatoris modestiam neutiqvam contentus, collum ejus tyrannico 10 conculcat pede, additam ignominiosam hāc acclamazione: SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULABIS ET CONCULCABIS LEONEM ET DRACONEM. O cyclopica Pontificis rabies! Friedericus verò rei indignitate, ad animum generosum revocatus palam respondet Pontifici: 15 NON TIBI, SED PETRO. Papa ursinis suis ungulis collum Cæsaris alterā vice deprimens, reclamat: ET MIHI ET PETRO. Acta hæc anno post millesimum centesimumque septimo & septuagesimo. Contradicitur autem veritati hujus historiæ ab hodiernis sedis Papalis parasitis, præprimis Baronio, 20 repugnante veneranda & Scriptorum & monumentorum antiquitate. Erubescunt enim ob inauditum hoc factum, quapropter ratiunculis quibusdam illud elevare conantur. At contrarium svadent probatorum fide historicorum, Pontifici Romano addictissimorum testimonia.

Pars κα-  
τασκευα-  
στικὴ, veri-  
tatem hi-  
storiæ pro-  
bans.

*Johannes de Capistrano* Ordinis Minoritarum Monachus, qui floruit circa annum Chr. 1385. (1) vir Pontificibus, præprimis Nicolao V. carissimus, à quo ad varias adhibitus fuit functiones, in libro de Papæ & concilii autoritate pag. 651. ad hanc historiam digitum intendens, sic loquitur: *Confiteantur Teutonici, Imperatores debere cervicem submittere pedibus summi Præfusis.* Jacobus Philippus Bergomas, (m) ex nobili Forestorum familiâ oriundus,

(1) vid. D. Qvensted. Dialog. de patriis illustrium doctrinâ & scriptis virorum pag. 377. 372. Bellarm. de script. Ecclesiast. & Crantz. lib. II. histor. Sax. c. 36.

(m) de ejus ætate & tempore, quo floruerit, vide diffusæ eruditiois opus Vossii de historic. Latin. lib. III. cap. XI. pag. 662. 663.

undus, Ordinis Eremitarum Monachus in Chronic. suo, qvod supplementum supplementi vocat, Venetiis per M. Bernhardinum Riccium de Novariâ anno Christi c. 1500 CCCCXCII. excuso & c. 1506 recuso ad annum c. 1500 CLX. historiæ à nobis suprà recitatæ de Alexandro III. veritatem *avem patibus* sufficien- 5 ter probat.

Foresto assentit *Johannes Nauclerus*, (n) primus Tübingensis Academiæ Rector, in *Chronico suo volum. II. generat. 40. p. 784.* verba ejus hæc sunt: *Isto fædere Alexander inito, confessim ad januas templi D. Marci accessit, & ibidem universo astante populo Imperatori iussit, ut humi se prosterneret, ac veniam denuò postularet,* At summus Pontifex Imperatoris collum pede comprimens, ait: scriptum est, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. At Friedericus, non Tibi, ait, sed Petro, cui successor es, pareo. Et Pontifex respondit, Et mihi & Petro. Hæc 15 Nauclerus. Σύγχρονος Naucleri est Marcus Antonius Sabellicus (o) Bonarum artium apud Venetos Professor, Erasmo in Ciceroniano suo vir in historiâ splendidè versatus, qui iisdem fermè verbis eandem cum Nauclero recenset historiam lib. VII. Decad. 1. de rebus Venetis. Similiter & *Johannes Stella* (p) Sacerdos Venetus, cui ex Patriæ archivis de veritate hujus historiæ optimè constare potuit, in libro de vitis ac moribus Pontificum, Basileæ per M. Jacobum de Pforzheim ann. 1507. impresso, Foresto, Nauclero & Sabellico hâc in parte totus est ὁμόψηφος, sub finem, historiam suam his claudens verbis: *Fateor atq; Deum meum testor, me non falsa scripsisse.* Hi verò scriptores omnes antequam Theander noster Lutherus orbi innotuerit, floruere, ut nulla Lolliticæ sectæ Monachis esse possit suspicio, eos hæc veneno (ut non raro loquuntur) infectos Lutherano, scripsisse. Nec post Lutheri reformationem scriptores desunt, qui, et si in cæteris Romanæ Ecclesiæ ejusq; capitib; Papæ Gnathones sint studiosissimi, in hâc tamen historiâ veritatem magis quam περσωποληψίαν amantes, eandem recensent & probant. *Papyrius Massomius Gal-*

B

lus

(n) vid. Gerard. Voss. l. c. pag. 646. 647. (o) vid. Voss. lib. cit. cap.

XII. p. 669. seq. &amp; D. Qvensted. Dial. de patr. illustr. yirorum. p. 370.

(p) Voss. lib. cit. c. XI. pag. 663.

*lus Jctus, vir judicij atq; doctrinæ acris libro V. de vitis Episcoporum urbis Romæ, brevibus qvidem, sed emphaticis rem totam, recitat verbis: Friedericum Barbarosam, inquietens, Alexander III. inclinat à cervice collum pedi suo submittere compulit, dicens: super 5 aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis Leonem & Draconem. Respondit Imperator: Non tibi, sed Petro. Pontifex regessit: Et mihi & Petro. Iisdem omnino verbis hanc historiam recensuit Petrus Justinianus, Patricius Venetus, Rerum Venetarum ab urbe conditâ ad annum cl̄o Iō LXXV. contextarum p. 27. libr. II.*

**10 ipsi Gregorio XIII. Romano Pontifici dicato.**

Autoritatem hujus testimonii facile Lojalitæ labefactare non poterunt, nisi Hardingum, Theologum suæ religionis non incelebrem, mendacem proclaimare velint. Hic etenim in alia quādam historiâ in testimonium Justinianum Venetum adducturus, 15 sic præfatur in confut. apolog. Anglic. part. 4. c. 7. Autorem do Petrum Justinianum Venetum, summo loco natum, cuius annalium maxima est apud Venetos autoritas. Audiant igitur & in præsente re hujus viri testimonium. Apertissimam quoque historiæ totius veritatem ex insignibus, quibus Papa Venetos ob defensionem strenuam affecit, donis, probare possumus. Inde enim suam traxit originem, ut quotannis mare sibi adhuc hodienum, despontent annulo. Concessit illis portare funale candidum, quod soli Romano Pontifici antea portare licebat, plumbo literas obsignare, Duci eorum Galerum, item in theatro Romani Pontificis tertiam Venetorum Principi sedem dedit. In festo ascensionis Domini donavit Venetos plenariâ omnium peccatorum remissione, in templo D. Marci, quæ indulgentiæ perpetuò in eo loco durare debent, &c. Nec ullam hæc privilegia aliam agnoscunt originem. Ita enim Petrus Justinianus Patricius & 20 Senator Venetus, cui omnia Bibliothecarum Venetarum MSta adire concessum erat, l. c. aperte scribit: Ceterum, inquit, non desunt, qui affirmant, fuisse insignia illa aliunde quæsta, victoriæq; hujus successum diversum ab eo, qui à nobis traditus est, enarrant: Sed id Veneti annales habent (adverte hic Baroni): confirmatque 25 hoc idem figuratio illa in comitiis totius rei gestæ: nisi enim res eo mo-

do, quo



do, qvo secuta, & à nobis relata est, veritatem contineret, non utiq<sub>z</sub>  
 Prisci illi Veneti modestia pleni, tam impudenter historiam in publi-  
 cum referendam censuissent. Adde, qvod ejusdem rei schema Senen-  
 si in Urbe ducentesimo & amplius abhinc anno figuratum appareat: id  
 qvod multi vidisse affirmant, in qvibus Matthæus Dandalus, & Aloy- 5  
 sius Mocenicus, viri amplissimi, sunt, qvi dum è Româ legatione fun-  
 eti, per Hetruriam iter facerent, rei gestæ seriem publico Senarum  
 atrio depictam inspexere, & ad præsens hoc tempore, qvo hæc scribi-  
 mus, Pius IV. Pontifex Max. eandem Historiam Romæ in insigni aulâ  
 à Josepho Salviati, pictore nobilissimo, excellenti opere representan- 10  
 dam curavit hujuscemodiq<sub>z</sub> Elogium, qvo res gesta breviter contine-  
 tur; apponi jussit: Alexander Papa III. Federici I. Imper. iram,  
 & impetum fugiens, abdidit se Venetias, cognitum, & à Senatu  
 per honorificè suscepsum, Othonem Imperatoris filio navalí præ-  
 lio à Venetis victo, captoq<sub>z</sub>ve, Federicus pace factâ, supplex ado- 15  
 rat, fidem, & obedientiam pollicitus: ita Pontifici sua dignitas,  
 Venetæ Reipubl. beneficio, restituta. *Quid clarius?* Extant eti-  
 am carmina qvædam vetusto saxo incisa, super fores templi, qvod  
 ad Salborium in Historiæ ora est, ubi navale fuit prælium, qvæ fidei  
 causâ hic annotavimus: 20

Heus populi celebrate locum, qvem tertius olim  
 Pastor Alexander donis cœlestibus auxit.

Hoc etenim pelago Venetæ victoria classi  
 Desuper eluxit, ceciditq; superbia magni  
 Induperatoris Federici, & redditæ sanctæ 25  
 Ecclesiæ pax alma fuit: qvo tempore mille  
 Septuaginta dabat, centum, septemq; supernus  
 Pacifer adveniens ab origine carnis amictæ.

Paucis interjectis pergit: Sed id externi Scriptores non  
 ponunt, nec iidem propterea negant. Satis est, 30  
 qvod domestici annales asserant, referant, atte-  
 stentur, qvos seqvi debeo, in his præsertim, qvæ tam vero similia  
 sunt, ut nihil possit esse, vel magis simile, vel rationi, fidei q<sub>z</sub> proximum.  
 Ecqvid autem clarius hisce esse posset? Veritatem qvoq<sub>z</sub> hujus

historiæ probat, eideinqve subscribit *Franciscus Sansovinus*; qvī circ. ann. cIɔ Iɔ LX. Italiæ & lib. VIII. urbis Venetæ conscripsit historiam, ubi extare itidem meminit in Palatio picturas de Friederici Barbarossæ rebus gestis, cum adscriptis summarii, in 5 ter qvas figuræ illi, qvæ est numero XXI. argumentum additum sit ejusmodi: Pontifex ductus cum Imperatore in templum S. Marci, factâ inter eos pace, advocatus ab ipso ( gli mettéra il piede sub collo per segno di superiorità ) ponebat pedem super col- lum ejus in signum supereminentiæ. Idem quoqve testatur au- 10 tor libri *Italici* ( Delle Cose Notabili che sono in Venetia ) de re- bus notabilibus, qvæ sunt in Venetiis, editi ann. cIɔ Iɔ LXV. Con- spicitur, inquit, in conclavi Palatii, in quo habetur ( il grande con- figlio ) magnus Senatus, pictura, in qua Pontifex Alexander imponit pedes collo Friederici. Similis huic, pictura habetur & Halæ Sa- 15 xonum in templo Mariano, qvam ipse egomet oculis non ita pri- dem meis vidi, ubi in valvis altaris Imperator coronâ insignitus humili prostratus, Papa verò pedibus ejus collum conculcans, sunt depicti. In superiori autem parte super conculcantis caput hæc leguntur verba: SANCTUS JOSUA. Insignis verò fucus, 20 absqve dubio Jesuiticæ sectæ monachos sub initium reformatio- nis Lutheri autorem agnoscens. Deleta enim vox ALEXAN- DER, id qvod si altare ascendas, optimè, colore licet paululum sit obfuscata, ut eminus stans non facile noscat, adhuc legere po- teris, & vice ejus substituta vox JOSUA, omnibus tamen literis 25 ALEXANDER penetrantibus. Sed hoc ᾧ ἐν παρέργῳ.

Ipse Baronius (q) inficias ire non potest, in Codice Chroni- corum dignæ memoriæ Cardinalis Bessarionis, qvi summâ diligen- tiâ & honore in bibliothecâ Venetâ asservari dicatur, pluteo de- cimo septimo historiam hanc iisdem omnino verbis, qvibus apud 30 Papyrium, Massonium & alios, qvos supra citavimus, descripta extat, annotatam reperiri. Nec etiam negare potest n. V. ea ex antiquioribus monumentis esse absqve dubio excerpta. Verba verò Bessarionis citante ipso Baronio l. c. hæc sunt: tunc fæde- re Alexander Pontifex inito, confessim ad januas templi Divi Marci acceſ-

(q) tomo XII. annal. ann. 1177. num. V. p. 700.

accessit, & ibidem universo astante populo, Imperatori jussit, ut se humili prosterneret, & veniam denuò postularet, cum summus Pontifex Cæsaris Imperatoris collum pede comprimens ait: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. Cum illi Friedericus: Non tibi (inquit) sed Petro, cui successor es, pareo. 5 Et quod Pontifex respondit: Et mihi, & Petro. At sic inter Imperatorem & summum Pontificem pace compositâ, ipse Imperator cum bonâ vienâ abiit. Hæc ex Codice Bessarionis. Fide hujus Codicis etiam nititur Hieronymus Bardus, (in libro cui titulus: Della vittoria navale ottenuta della Republica Venetiana contra O- 10 thone figlivolo di Friederigo Primo Imperatore, Gyrolami Bar- di) id quod Baronio maximè displicet, ita enim de Bardo cap. I. n. II. infit: *Qui* (Bardus de quo est sermo) *haud ita pridem in iis copiosissimè versatus est, utinam ita fructuosè sicut & operosè, qui circumiens mare, & aridam, illa sola invenit, quibus in errorem mani- 15 festissimum (id verò Baronio erit probandum) duceretur: nec ad illa pervenit, quibus veritate certissimâ informari potuisset, ne falle- retur, & sic alios ipse falleret (r). Sed plurium historicorum te- stimonia coacervare supersedemus. Non numero sed pondere, testimoniorum nitimur. Quotquot enim produximus histori- 20 cos, ii vel ante Lutherum scripsere, vel ex inclutæ Reipublicæ Ve- netæ archivis & bibliothecarum Codicibus MStis ea, quæ scri-*

## B 3

pfere,

(r) Überiorem hujus historiæ notitiam si desiderabis, consule Azorii Je-  
suitæ Inst. moral. p. 2. l. 5. c. 43. & Sigon. de regn. Ital. l. 14. Udalricum  
ab Hütten eqvit. Franc. im Bericht / wie die Päpst mit den Käysern  
gehendelt lit. A. iij. Simon Schard. in libr. de perfidiâ Paparum erga  
Imperatores in histor. Frieder. I. Martin. Crusium. annal. Svevic. lib. I.  
part. 2. p. 462. Johann. Funcium. lib. X. Comment. Chron. ann. 1177.  
Spangenberg. Chron. p. 229. Dresser. millen. 6. fol. 362. Pantaleon  
part. 2. libri Heroum fol. 267. Philipp. Melancht. in Chron. Carionis  
lib. 4. p. 470. seqq. Ofiandr. Cent. XII. lib. VIII. c. 1. p. 277. seq. Hon-  
dorff. Calendarium Sanctorum & histor. p 193. b. Calbis. p. 829. Chro-  
nol. ann. 1177. D. Schmuck p. 622. seqq. Epitom. Büttneri fol. 216. a. b.  
Mutium in German. Chronic. lib. 18. p. 156. seqq. B. Doct. Kromayer.  
Cent. XII. histor. Eccles. p. 470. seqq. D. Clüber. epitom. hist. p. 456. a.  
B. Luther. tom. VIII. Jen. Germ. p. 207. seq. in præfat. libelli: Päbsts-  
Treu Adriani IV. und Alexandri III. gegen Käyser Friedrich Barba-  
rossa geübet: & alios plurimos.

psere, depromserunt. Pontificiae certè religioni omnes (de quo dubium nullum) fuere addicti. Pergimus ad Baronii, qvibus fidem hujus historiae labefactare satagit, argumenta, eademque ex multis foliis in compendium compilata solvimus.

Pars a-  
va meua-  
sticū, sol-  
vens Baro-  
nii obje-  
ctiones.  
Objectio I.

Responsio.

5 Primum qvod necit argumentum, sumit à silentio historicorum vetustiorum, testibus αὐτόπαις, autore scil. Actorum Manuscriptorum Alexandri III. itemqve Romualdo Archi-Episcopo Salernitano, Regis Siciliæ Legato, qui tale de Alessandro nihil commemorent. Ita enim p. 701. n. IX. tom. XIII. ann.

10 cI CLXXVII. inquit: *Q*uamobrem nos non aliunde, qvam ab auctoribus ejus temporis, & iisdem planè ipsis, qui rebus tunc gestis interfuerunt, videruntqve, atq; præsentes contrectarunt, cuncta descripturi sumus. Addemus insuper ad confirmationem eorum, qvæ ex dictis auctoribus narraturi sumus, complures ipsius Alessandri Papæ

15 tunc ad diversos Venetiis, scriptas Epistolas de iis, qvæ ibidem in eadem causâ fieri contigerunt: adçò ut nulla de his vel levis dubitatio reliqua esse possit. Hæc Baronius. Sed respond. (1.) Ita Baronius suis in religione sociis & fratribus ipse contradicit. A silentio historicorum vetustiorum falsitatis præsentem arguit historiam.

20 Arguat igitur etiam falsitatis donationem Constantini Magni, pro qvâ tamen adstruenda tanquam pro aris & focis disputant. Ne ȝeu de eâ in Eusebio, Eutropio, Diacono, Orosio & aliis rerum gestarum & vitæ Constantini M. scriptoribus habetur, igitur erit falsissima & fictitia, qvod tamen non facile, nisi mendaces eos

25 dicere velit, concedet. Igitur, qvam firmum à silentio auctorum ducatur argumentum, videt. Qvibus verò rationibus nostrates fictam Constant. M. donationem pronuntient, id aliorum spectat. Sanè non ex silentio auctorum coævorum solum id demonstrant; sed ex planè contrariis, qvas isti autores nobis tradunt, donationi huic sententiis, istā respuunt. Sed, ut dixi, hæc aliorum(s).

(2.) Ex-

(s) Vid. VVolff. lection. memorabilium & recondit. tom. II. pag. 751. seqq. Item Fasciculum rerum expetendarum & fugiendar. fol. 67. seqq. Nicolaum de Cusâ à pago ad Mosellam sito ita dictum. VVilletum de Roman. Pontific. Controvers. IV. General. qvæst. VIII. pag. 292. Camerar. horas subcisi. Cent. I. cap. LXI. p. 274. seqq. Ipsum Æneam Sylvium qui Pontifex factus, dictus Pius II. in Dialog. de Donat. Constant. Reinking. de Regim, secul, & Ecclesiast. I. I. Class. 2. cap. 7. nnn. 45. seqq. & alios.

(2.) Excidit forsan Baronio J<sup>C</sup>torum regula, qvòd plus valeant duo testes affirmantes, qvàm decem, non dico factum negantes, sed de eo tacentes. Argumenta ab autoritate negativa, in historicis neqvaqvam valent. Si enim juxta Bellarminum, (t) Baronii collegam, ne qvidem ex sacris literis ( qvæ hypothesis 5 tamen absurdia, sic enim Hieronym. (u) *Qvicquid ex Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, quā assertur:*) negative argumentari licet, multò profectò minus ex profanis licebit. (3.) Acta illa M<sup>Sta</sup> qvod attinet, ipse Baronius, qvan-  
ti ea æstimanda sint, num. 84. p. 731. nos docet, qvando, ea non <sup>to</sup> integra esse, sed truncata, & fine carere, dicit. Quid, si ergò in illa parte, qvæ injuria temporis periit, Friederici conculatio an-  
notata fuisset? Et, si divinare mihi liceat, existimo ego Baroniu-  
um forsan pro lubitu hinc inde exscripsisse ea, qvæ sibi idonea, qvæ minus, refecuisse. Omnibus eruditis est notum, qvomodo 15  
Jesuitæ cuin M<sup>Stis</sup>, præprimis si ubivis non sint obvia, procedant, sæpiissimè etiam nos ablegantes ad talia, qvæ nunquam extitē-  
re. (4.) De Romualdo Archi-Episcopo Salernitano dicimus, illum apertissimum ejus rei, qvam Baronius eum præteriisse scri-  
bit, indicium facere. Sic enim ipso Baronio num. 68. citante, lo- 20  
qvitur: *Cum ad Papam appropriasset, tactus divino Spiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate postposita, rejecto pallio ad pedes Papæ totum se extenso corpore inclinavit.* Qvàm verò promtum fastuoso fuit Pontifici collum Imperatoris, à qvo gra-  
viter fuerat Iæsus, ad pedes suos prostrati, premere, & subjectio- 25  
ne eam testatam facere? Signum ejus Friedericus die statim se-  
quentे edidit, cum & ostiarii & stratoris officio functus est: Im-  
perator, inquit Romualdus apud Baronium num. 69. pag. 725.  
tom. XII. ut humilitatem, qvam corde conceperat, opere de-  
monstraret, sumpto stratoris officio, pallium depositum, manu 30  
virgam accepit, laicos de choro expulit, & Papæ ad altare solen-  
niter & processionaliter venienti, viam tanquam Ostiarius præ-  
para-

(t) Lib. II. de Rom. Pontific. cap. IX. & libro I. de Missâ cap. XXIV. in  
responſ. ad II. argum.

(u) In cap. XXIII. Matth. confer Acutissimi Theologi B. Dannhauer. Ho-  
dosoph. phæn. I. pag. m. 78.

paravit. Dehinc in choro cum Archi-Episcopis, Episcopis & Clericis Alemanniæ remanens, Missam Domini Papæ devotè satis & humiliter audiebat &c. Finita Missâ, cùm Papa ad suum palatium vellet redire, Imperator dexteram ejus accipiens, eum usqve ad portas Ecclesiæ satis honestè deduxit. Cumqve eqvum suum album de more vellet ascendere, Imperator ex aliâ parte accedens, strepam ejus tenuit, & postqvam eqvum ascendit, ipsum aliquantulum stratoris more per freni lora deduxit. Idem verò judicium esto de aliis, qvi suppressionem hancce Imperatoris prætermisssse dicuntur. Indicium ejus rei faciunt, qvamvis ob indignatem facinoris disertis verbis exprimere noluerint. Obtinet hic qvod de Johannâ Papissâ *Ranulphus polychron.* lib. 5. cap. 32. dicit: propter deformitatem facti hæc historia ab aliis est omessa, & Marianus Scotus in *Chronic.* Hujus Johannæ (conculcationis) nomen (facinus) autores non ponunt, propter turpitudinem rei. (5.) Ad Epistolas, qvas adducit Baronius, reponimus, eas omnes ipsius esse Pontificis Alexandri, is verò an seipsum immanis hujus superbiæ reum faciet? Nihil ergò probant.

**Secunda  
Baronii  
Objectio.**

20 Secundò existimat Baronius, facinus hoc Pontificis, tanquam vicarii Christi, mansuetudini, lenitati & reverentiæ erga Imperatorem, verbis & factis demonstratae repugnare, nullo ergò modo esse verisimile Alexandrum III. hæc tam arroganter transiljisse. Ita enim in fit num. 86.: *Abhorret à tanti Christi vicarii mansuetudine turgens fastu facinus, penitusq; alienum ab ipsius moribus, tot actionibus probè notis.* Quantæ enim fuerit animi demissionis & moderationis, benignitatis, lenitatis, paternæq; charitatis ad eliciendos ad pœnitentiam peccatores, ad curandos ipsos pœnitentes omni genere obsequi & indulgentiæ, cum facile sit ex scriptis & factis ipsius superius recitatis elicere, asserere & confirmare: notius planè & evidentius fiet ex his, qvæ ex eodem auctore anno sequenti dicentur, cùm Callistum pseudopapam, pestem Ecclesiæ, ad se venientem pœnitentem recepit. Hæc Baronius. Ad singula autem respond. brevibus (1.) Papam Christi esse vicarium prius Baronio probandum, qvam, tanquam ex concessso, asserendum, nisi petitionem

**Responsio.**



tionem principii admittere velit. Qvam egregius verò Christi vicarius fuerit Alexander, exinde cognoscas, qvod Judaici generis servos in familiâ suâ habuerit. Sic enim de eo *Papyrius Massonius*, in ipsius vitâ ex Benjmini Itinerario: *Nescio, inquit, an laudari debeat, qvod Judaici generis servos habeat Pontifex Christianus?* Reges enim ac Pontifices sâpè miseri sunt, non tam suâ culpâ, qvàm qvòd affectatorum suorum peccatis ac criminibus premuntur. Itaqve impure, damnataq; sectæ & cœlo quoqve ipsi invisos servos habere non debuit. Egregius verò is Christi vicarius, qvi perduelles Christi ejusqve hostes infensissimos in famulitium assumit. (2.) Qvàm lenis & mansuetus fuerit Alexander, in Henrico II. Angliae Rege clarum est, qvi, qvamvis perpetuò protestatus fuerit, se nec mandâsse, nec voluisse, nec suo artificio perquisivisse necem Thomæ Beqveti Archi-Episcopi Cantuariensis, tamen qvia ex ejus verbis non satis circumspetè prolatiis imperfectores ejus perimendi occasionem acceperant, exegit Pontificis Alexandri Legatus, ut Rex absolutionem petiturus, carnem suam nudam disciplinæ virgarum supponeret, & à singulis viris religiosis, qvorum multitudo magna convenerat, iectus ternos vel qvinos susciperet, qvod ipsum Rex de facto, pharmacis illorum miserè fascinatus, subiit. *Hæc Mattheus Paris. in histor. Anglic. in Henrico II. p.125. Roger. Hoveden. Part. 2. Annal. in Henr. II. Mornay. Myster. iniquv. pag. 726.* Ecqvæ verò hæc lenitas & mansuetudo? Baronius eqvidem emollire nititur hanc sævitiam dicam an σκληραρεῖαν? num. III. tom. 25 XII. ann. CLXXII. pag. 662. qvando dicit: *deduxerunt eum legati ex propriâ Regis voluntate extra ostium Ecclesie, ibi q; flexis genibus, non tamen exutis vestibus neque verberibus appositis, absolitus est, & in Ecclesiam introductus.* At historico Anglo hæc publicè affirmanti majorem credo fidem esse habendam, qvàm 30 actis illis, ex Codice Vaticano depromptis, in obscuro haec latitantibus. Nec hic Alexander solus tam lenis & mansuetus (scilicet!) erga Reges & Imperatores fuit, antecessores (de successoribus jam non loqvar) ejusdem farinæ Papas habuit plurimos. Gregorius VII. qvem vicarium quoqve Christi vocare 35

C

Baroni-

Baronius non dubitat, is eâdem crudelitate in Henricum IV. Imperatorem usus. Illi reconciliandus Henricus IV. propè Canusium venit, ubi Gregorius cum Mathilde Comitissâ, qvæ ab ejus latere raro discedebat, tunc temporis agebat. Pontifex postquam exegerat, ut coronam & reliqua regni insignia in argumentum veræ pœnitentiæ traderet, ac se post tantam contumaciam regio nomine & honore posthâc indignum profiteretur. Henricus proprius ac jussus erat accedit atque intra secundum murorum ambitum receptus, omni comitatu exterius relicto, Regium cultum abjicit, ac sine calceis sœiente hyeme jejonus usq; ad vesperam Gregorii responsum expectat. Verum Pontifex in secundo illo ambitu, (triplex enim urbi murus erat) ad vesperam usq; responsum frustrâ expectantem reliquit. Redit die secundo & tertio, idemque experitur. Quarto demum partim constantiam hominis demirans, partim aspera hominum adversus se convitia veritus, eum in conspectum admittit. Autores sunt *Martinus Polonus Papæ Secretarius in Chron. Lambertus Schaffneburgensis Monachus Hirsfeldensis in Chron. Conrad. à Liechtenau Abbas Ursperg.* in Chron. pag. 235. Et ipse Baronius tom. XI. annalium ann. cI LXXVII. num X. pag. 522. Helmold. lib. I. histor. Sclav. cap. 53. qui miseram Imperatoris sortem ita deplorat: *Legimus, qvia multi peccaverunt, qvibus tamen subventum est pœnitentiæ remedio. Certè David peccans & pœnitens Rex & Prophetaper mansit. Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum jacens, orans ac pœnitens, gratis pessundatus est, nec invenit tempore gratiæ, qvod ille obtinuit tempore legis.* An hoc est dixisse Pontificem Christi vicarium esse lenem & mansuetum? Nihil profectò minus. Nec hic prætereunda insignis Clementis V. sœvitia, qui Franciscum Dandalum inclutæ Reipubl. Venetæ Legatum canis instar catenâ collo injectâ sub mensâ latére suâ permisit, ut graviter offendit suum animum tam demissâ humilitate deliniret, Patriam quæ suam in gratiam Pontificis restitueret, id qvod ne ipse quidem Pontificius Hardinus inficias ire potest, in Confut. Anglic. part. 4. cap. 7. Sed hæc de mansuetudine vicariorum Christi (rectius

(rectius Anti-Christorum) sufficient. (3.) Reverentia Alexandri Pontificis erga Imperatorem, si non ex aliis, ex nefariâ illâ conspiratione, quam cum Mediolanensibus & cæteris Italiæ civitatibus contra Imperatorem suscepereat, satis luculenter patet. Egregia verò hæc erga Imperatorem reverentia! Nec majori reverentiâ Alexandri Antecessor Hadrianus IV. Optimum Imperatorem Friedericum I. proseqvebatur, irascens quod sinistram sellæ strepam sibi descendenti, & non dextram tenuerit. Ita de execrando hoc facinore Helmold. lib. I. histor. Sclav. cap. 81. Pontifici, inquit, Viterbium in occursum venienti Imperator Friedericus obviam progreditur, eumque magnâ cum devotione & honorificentiâ excipit, sinistram sellæ strepam de jumento descendenti tenens, eumque in tentorium Imperiale deducit. Cum in territorium ventum esset, Episcopus Bambergensis nomine Imperatoris orationem exorsus, quanto Imperator desiderio colloqvi Papalis fruendi flagraret, commemorat, & DEO optimo maximo gratiis actis, qui ipsum voti sui compotem fecisset, suppliciter ac submissè petit, ut Friedericum, orbis Christiani supremum Principem & Ecclesiæ defensorem, solito more diadematate Imperiali insignire dignetur, causas, ob quas eo dignissimus sit, probè ac eleganter adjiciens. Pontifex Bambergensis Oratione finitâ, præclarè ea dicta fuisse profatur, sed rem Orationi minimè congruere ait. Etsi enim leve atque exile sit, de quo verba facturus esset, negari tamen non posse, quin, ut qui in minutioribus negligentior deprehendatur, ne talis quoque in majoribus sit, justè timeatur. Ad hanc Pontificis Orationem omnium auribus arrectis atque animis sollicitis, quodnam peccatum esset, ille prosequitur; Descendenti, inquietus, ex quo sinistram sellæ strepam tenuit, id an in ludibrium nostrum, vel aliâ de causâ fecerit, ignoramus; Siquidem si honore nos afficere voluisset, dextra sellæ strepans, eaque manu dextrâ contrectanda fuisset, Cæsar Pontificis oratione non nihil commotus, paulumque subridens respondit: minimè se strepis apprehendendis studuisse. Tu, inquietus, Pater, primus es, cui tali officio deservimus. Et bile inter sermo-

nem crescente, addit: Scire velim abs te, officii hoc genus an ex debito sit, an ex beneplacito? Qvod si ex benevolentia descendit, quis causabitur culpam in spontaneo? si ex debito, parum interesse putamus, quo latere acceperit, qui venerabundus accedit. Severius sic collocuti discedunt utrinque non sine stomacho. Imperator tamen, Princeps prudentissimus, dissimulans illa omnia, die postero Pontificem ad colloquium revocat. Pontifici itaque advenienti Imperator obviavit, atque ex prioritate ejus objurgatione doctior factus, dextram sellae strepam apprehendit, ac in tentorium sanctissimum Patrem deducit. Hæc Helmoldus. Quâ verò reverentiâ Romani Pontifices venerati sint Imperatores, exinde colligas. Paulò quidem aliter Baronius num. 8. ann. clv. tom. XII. hanc recenset historiam, sed Helmoldo hâc in re magis quam Codici Vaticano in obscuro hactenus latitanti, credendum esse existimo. Sic igitur Alexандri mansuetudo, lenitas & reverentia erga Imperatorem, veritati historiæ non officiunt, cum nullas talium virtutum in ipso reperiri sufficienter hactenus probatum dedimus.

Tertia Ob-  
jectio Ba-  
ronii.

Pergit Baronius num. IX. ad picturam publicam, quæ Venetiis in templo D. Marci præsentatur, illaque opponit illud Horatii:

- - - pictoribus atq; Poëtis

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Responsio.

At, Respond. nullo modo veritatis habet speciem, inclutam & celeberrimam Venetorum Rempublicam hujus à se spectatae tragœdiae picturam in (non privato, sed) publico loco depictam erigi curasse, nisi ex actis fide dignis de ejus veritate fuisset certissima. Et cur erigere voluisse alterius partis amore vel odio, ejus rei æternæ memoriae monumentum, cuius apertissimæ falsitatis potuisset damnari, *ἄποντα*!

Quarta  
Objectio.

Sed major hic oriri posset scrupulus, quod incredibile ferme sit Friedericum Imperatorem magnanimum se eò usque demissurum ac hanc contumeliam tam æquo animo laturum fuisse, quem historiographi malleum hinc inde vocent Italæ, ex quâ septies redierit vicer, quod urget Lehmannus in Chronic. Sprenf.

renſ. libr. 5. cap. 56. At respondemus ad hoc, non animi imbe- Responsio.  
 cillitate aut victoriae desperatione fractus hæc optimus & inclu-  
 tus ille Heros, qvem cordicitus se diligere ait Megalander noster  
 Lutherus (x), sed philostorgia partim filii captivi, partim pa- 5  
 cis diu in Europâ exulantis restituendæ desiderio, subiit, & for-  
 san si in proprio suo fuisset territorio, Pontificem absqve dubio  
 aliis salutasset verbis. Ast cum apud Venetos esset, qvî Pontifi-  
 ci, jà qvo multis affecti erant beneficiis (y) adhærebant, pejo-  
 ra metuens, patienter ignominiosum hunc fastum pertulit.  
 Nec in ipso abominando hoc Pontificis facinore invictus glorio- 10  
 fissimi Imperatoris animus delitescere potuit, sed satis emicuit,  
 dum masculè rei indignitate motus Pontifici respondit: NON  
 TIBI, SED PETRO. Se non tyrannidi Alexandri sed au-  
 toritati Apostolicæ supplicem esse factum innuens. *Vicit, in-*  
*qvit Philipp. Melanchton in Chronic. Carionis lib. 4. pag. 747.* 15  
*Optimum Principem opinio religionis, cuius in animis hominum*  
*magna vis est, præsertim si superstitione accedit, qvæ tunc regnabat.*  
*Cessit etiam utilitati publicæ, ut constitutâ firmâ concordiâ in Euro-*  
*pâ, Latrocinia Mahometica in Asia facilius reprimi possent. Et hæc*  
*sunt, qvæ ad obfuscandam hujus historiæ veritatem Baronius fo-* 20  
*lo & unico Codice Manuscripto & qvidem dilacerato (ipse ete-*  
*nim id testatur) bibliothecæ Vaticanæ nixus, objicit, posthabî-  
*tis omnibus Codicibus impressis & manuscriptis, veritatem hi-*  
*storiæ recensitæ probantibus. Qvo verò fundamento, qvâ*  
*fronte, lectoris àveu πάθεια judicantis judicio relinqimus;* 25  
*Nos pedem hic figimus, DEO gratias pro concessis viribus agen-*  
*tes immortales.**

(x) Tom. 8. Jenens. German. pag. 208. in der Vorrede auff das Büchlein mit dem Tittel: Pabststreu Hadriani IV. und Alexandri III. gegen Käyser Friedrich Barbarossa geübet.

(y) Vid. VVolff. lect. memor. tom. 2. pag. 952. col. 1. Mutium. German. Chron. lib. 18. p. 158. Justinian. p. 25.

SOLI DEO GLORIA.

# MANTISSA MISCELLAN.

I. Inepta pictorum consuetudo Mosen cum binis cornibus depingentium, originem procul dubio ex vulgata loci Exod. XXXIV. 29. interpretatione duxit, utpote quæ פָנִי שׂוֹר vertit, quod cornuta esset facies Mosis, quæ tamen versio minus recta videtur; vox קְרֵן enim juxta R. Salomon. valet lucem emittere instar cornu.

II. Liturgia seu Missa S. Marci, quam Gregorius de Valentia l. 1. c. 4. de sacrificio Missæ citat, ut, ritus missaticos, quibus hodie utitur Ecclesia Romana, ab Apostolis fuisse institutos, probet, supposititia est, nec majorem fidem Missa S. Jacobi, quæ à Bellarmino passim citatur, & Antuerpiæ 1560. excusa prostat, meretur.

III. Insignis ἔργον, (nisi merum, quod fermè probabilius, mendacium) est, quod Metrophanes referente Stephano Byzantio in Εὐκαρπίᾳ de ingentibus uvis dixit, verba Byzantii hæc sunt: ίστοι Μητροφάνης τὸν βότευν ἐκεῖ (in minori sc. Phrygiâ, de cuius incolis ipsi est sermo) ποστὸν γίνεσθαι μέγεθος, οὐαν αμαζαν απ' αὐτὸς χιλῆνας κατὰ μέσον. Refert Metrophanes, racemum istud in tantam ex crescere magnitudinem, ut pon;

*pondere suo medium etiam currum disrupat.* Profectò vel de papyro currum istum ætas fecerat puerilis, vel non magnitudine uvæ, sed mendacii hujus, crepuit medius.

**IV.** Cappucinorum Ordinis si species autorem, virum devotum atqve pium agnoscit, Gotfridum videlicet Varaglum Buscanum Pedenmontanum, qvi ad agnitionem sui erroris cùm pervenisset, mortem libentius qvàm vitam ob fidem salvificam elegit. Secutus enim Cardinalem Carrafam, Papæ Legatum in Gallias euntem, eo relicto, Genevam est profectus. Ibi cum ex verbo DEI, à superstitionibus & meritis hominum ad unicum Jesu Christi meritum configiendum esse agnovisset, institutum suum monasticum toto corde detestatus est. Reversus igitur ad suos ob veritatis Confessionem captus & Taurini ante arcis Portam ann. 1557. in verâ fide perseverans penultim. Xbr. est crematus.  
*Libr. Martyr. & histor. Gallicæ.*

**V.** Columbas felle carere communis fermè est sententia, sed falsa, inde forsitan profecta, qvòd in iis vesicula fellis non jungatur jecori, ut in gallinis & attagenis. Plane eam refellit Philosoph. lib. II. Histor. Animal. cap. XV. ubi ait,

QK Th 1803

22.

air, fel in aliis adnecti jecori, in aliis mini-  
mè: quædam etiam felle carere; sed aves,  
piscesq; omnes, habere fel: paucis interje-  
ctis subdit: *Similiter se res habet in avibus.*

*Quædam enim fel habent ad ventrem, quæ-  
dam ad intestina, ut columba, corvus, cotur-  
nix, birundo, passer: nonnullæ etiam adjecur,*  
*& ad ventrem, ut capriceps: nonnullæ etiam  
ad intestina simul, ut accipiter, & milvus.*


**VI.** In profundo Maris, si experientiâ credamus,  
dulcedo aquæ nulla.

**VII.** Donatio Constantini M. Sylvestro Pontifici  
facta, falsa planè est & fictitia,



AC

WOR



SSIMI  
AC DOMINI,  
CHRISTIANI,  
um Palatini, Ducis  
is Veldentiae &  
emiae,  
EMENTISSIMI,  
e Confilio  
MINENTISSIMIS,  
IS  
litate, & Prudentia  
tribus,  
**R E B H A N I O,**  
uit. Palatino Cæsar. Facul-  
Professori Antecessori,  
ecano, undiqvaque  
imo.  
**R G R H E M E N /**  
emici & Hanoici Comi-  
timo, Perstrenuo.  
**O G S E L L E N ,**  
eleberrimo, Consiliario  
, Spectatissimo.  
**I S O P T I M I S ,**  
MIS,  
ic Academicam  
it  
s Cliens  
**E L A R T O P O E U S ,**  
ES.